



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De communibus Ecclesiæ exercitiis, vt psallendo, orando & legendo, &c.
118

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

sed tempus vitę suę absque timore Dei peregerint: pœnitentiã autem ante mortis exitum, nullam egerint, non debere sibi de futura post mortem vita, metuere; sed euolare statim ab ore ad cœlum.

Responsio.

Liber docet infirmos, per veram pœnitentiã suorum peccatorum, misericordiam apud Deum, per Christum quærere, orare, ac sperare, omnemque fiduciã suã, penitus in Christo collocare, & de hoc ipsius verbo nihil omninò ambigere. *Amē, Amen dico vobis qui Sermones meos audit, & credit in eum qui misit me, is habet vitam aternam, nec venit in iudicium, sed de morte in vitam transiit,* licet omnibus diebus vitę suę latro, vel sacrilegus, vel Sacramentorum venditor fuisset.

Verum quomodo antiqui, quos aduersarij citant, pro defunctis orauerint, & ad quid Oratio, pro defunctis conducatur, supra declaratum est, in articulo de memoria Christianorum Laicorum iam defunctorum. Quam vide, & solidam inuenies doctrinam, de omnibus quę aduersarij hoc loco adducunt.

Vicesima nona Accusatio.

De communibus Ecclesię Exercitiis, nempe Psallendi, orandi, legendi, &c. & septem horis Canonicis.

CAP. CXVIII.



Hęc Accusatio duas habet partes, quarum prima est, contra id quod liber ordinat, in articulo de ritibus Ecclesiasticis, vt in ciuitatibus, diebus profestis, duo in singulos dies conuentus populi habeantur, cum lectionibus, orationibus, & Psalmis, quantum populus & ministri ferunt.

Item contra id quod in Libro ordinatum est, in Articulo de Scholis puerilibus, vt Ludimagister vna cum Scholasticis, conciones in Ecclesia iuuet, tam festis, quam profestis diebus, pro cuiusque loci conditione.

Quòdque iuuenes tempore brumali non debeant, æquo longius in templis detineri, ne valetudo eorum frigore oblædatur. Item, ne ita cantionibus occupentur, vt id studia eorum remoretur. Pertinere etiam ad grauitatem & religionem Sacrarum actionum in templis augendam & tuendam, ne cantiones nimium variæ, nec prolixiores habeantur. Item contra id, quod in Articulo de Reformandis Collegiis Canonicis constitutum est, vt in Capitulo summi Collegij Colonienfis, & aliis, lectiones & cantiones in templo sic comperentur, & moderentur, vt quę lecta vel cantata fuerint, omnia depromantur ex diuinis literis, aut non sint illis dissentanea, & ad hoc negocium pij doctique concionatores instituuntur.

Hęc sunt Christiane Lector, quę aduersarij reprehendunt: at quo Spiritu, tu ipse iudicato. Verum non solum ordinationes Sacris literis